Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-688717-p0001-8

Occaſionalia VI-181
potiſſimum carmina
vol. ~~Taſc~~ 21. ~~G. I. 21~~

Centur . . quinque.

VI-181.

Ung VI 181

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-688717-p0002-3

PLAUSUS LAETI
QUIBUS
VIRO-JUVENI
Nobiliſſimo, Clariſſimo, Doctiſſimoque
DOMINO
JOH. ZACHARIÆ HILLIGERO,
Chemnicenſi Miſnico,
APOLLINEUM SERTUM,
capiti ejus in alma Leucorea
d. 30. April. Anni hujus M DCC XIV,
ex merito impoſitum,
amore jubente,
gratulantur
SCHOLÆ PATRIÆ COLLEGÆ.

CHEMNICII,
Prelo impreſſorio STÖSSELIANO.

90

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-688717-p0003-9

OBſtat, *Amice*, quidem mœror, qui lancinat oſſa,
Ac mihi, *ne tenta ſcribere carmen*, ait;
Sed tamen expoſcit juſſis ingentibus iſte,
Quo *Te* complector, *ſcribito carmen*, amor.
Iſti parendum eſt, cum non ſit cœcus, amori,
Cujus ſemper erat ſontica cauſa mihi.
Tunc etenim, noſtris cum verſareris in ulnis,
Cerneret & vultus patria terra *Tuos*,
Quanto *Tu* ſtudio rectumque fidemque colebas!
O *Tua* quàm probitas irreprehenſa fuit!
O quàm compoſiti mores, ſedataque cuncta!
Quàm citus ad nutum, quàmque paratus eras!
Quàm Tibi ſordebat dea murcida, *Murcia*! quantæ
Lætitiæ, doctis invigilare libris!
Haſce etiam dotes celebrat Philyrea, bonosque
Auctus *Te* clamat conciliaſſe *Tibi*.
Hinc augetur amor meritò quoque dotibus auctis,
Qui mihi *nunc* verſum compoſuiſſe jubet:
Nunc, dum punicea redimit *Tibi* tempora mitrâ
Leucoris, & lambit laurea clara caput.
Ductus amore igitur pulchros Tibi grator honores:
Illi fœcundi ſint, pariantquè novos!
Tu vero, *Witeberga*, ſinus aperito, recepta
Prolem, quæ ſanè digna *Parente ſuo*.

Hiſce paucis Nobiliſſimo Domino Hilligero ſuum ſignificare amorem, & novos honores gratulari voluit

M. Daniel Müller,
Rect. Sch. Chemn:

Muſæ

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-688717-p0004-4

M Uſæ Fabricides, adeſte! Francus
Taubmannus cecinit pöeta comtus
Martinum veneratus *Hilligerum*
Sponſum verſiculis ſuis phaleucis.
Præſtò Fabricides mihiquè Muſæ
Sitis Chemnitiô ſato parente,
Veſtrâ qui genitus fui parente,
Veſtræ qui teneor ſinu parentis,
Molles nunc dabitis mihi phaleucos,
Confeſtim dabitis breves phaleucos,
Janus carmine quando *Zacharias*
Hilligerus amat *Magiſter* Artis
Qvam digniſſimus optimæ vocari.
Salve, *Doctor* ab artibus tenellis
Dudum ficte, bonas recenſuiſſe
Lingvas quem valuiſſe nos fatemur,
Felici calamô ſuum labellum
Qvem triviſſe perindê nos fatemur,
Cum ſubſellia noſtra viſitares,
Parnaſſum nequè Lipſicum rigares.
Papæ! quanta Tuis ineſſe poſſunt
Jam nunc puncta ſcientiæ medullis,
Ex quo Pliſſiades amas Sorores
Doctas. Utraquè teſtis id loquetur
Diſſertatio; nec minus Magiſtri
Verbis iſta probâre luculentis,
Quò teſtatior eſſet illa virtus.
Pergas ergò Magiſter optimarum
Lætus præmia ferre literarum.
Hoc ſplendore *Parentis umbra* plaudit,
Quem Muſæ prohibent mori Lutheri:
Ianus jam *Gvilielmus* excitatur,
Quem complectitur erudita terra,
Ut *Fratri* pia vota nunciaret.
Omnes ingenium Tuum colentes
Exoptare ſtudent honoris ampla
Incrementa, ſibiquè vendicabit
Plures ingenium Tuum Magiſtros.
Quæ ſi vera fuére dicta facta,
Muſæ Fabricides decus notabunt.

Hos fudit modicos lubens phaleucos
Cantandis meritis novi Magiſtri
M. Godofredus Plæncknerus,
Con-Rect.

P Ræmia jam veniunt Tibi pro ſudore, Magiſtri
Clari, dum clarum nomen ab arte capis.
Quàm volupe hoc credas matri? quàm ſanguine junctis,
Cum materna novus tecta MAGISTER adis?
Ex animis ergo talem Tibi grator honorem,
Atquè novos titulos grator, amice, datos,

Ante

Ante quadraginta ſeptem quos circiter annos
Jam Divo licuit rite probare Patri.

Honoratiſſimo Dn. Candidato, ſuo quondam, diſcipulo faciebat

M. Johannes Kranewitter/
Scholæ Chemn. Collega Tetius,
& Collegii Senior.

FAma Bonum, quô non melius reperitur in orbe:
Ambulat hæc, paſſu, vita ſimulquè, pari,
Fama Virum, quem nemo valet cognoſcere, prodit,
Ingenuus num ſit? Num probitate carens?
Sic etiam *Hilligeri* noſtri bona Fama vireſcit,
Cujus, me faciem noſcere, non memini.
Hunc tamen in ſtudiis omnem poſuiſſe laborem,
Omnes confirmat. Quod ſcio, laudo, probo.
Multa tulit, fecitquè puer, ſudavit & alſit,
Dignus, qui, Sophiæ Laurea Serta, gerat.
Leucoris alma dedit. Patris æmulus eſſe ſtudebit,
Ipſe locum donec ſcandat, honore, Patris.

Congratulabundus deproperabat

Joh. Chriſtianus Gerſtnerus
Cantor

Weil Er Herr Hilliger/ gar keine Müh geſcheuet/
Und jederzeit ſich nur der guten Künſt' erfreuet/
Will Wittenberg auch heut bekrönen Seinen Fleiß
An dieſen frohen Tag mit grünen Lorber-Reiß.
Ich wünſche demnach Glück zu Seinen neuen Ehren:
GOtt wolle dieſen Schein auf Seinem Scheitel mehren.
Ich ſchließ noch einen Wunſch in dieſe Worte ein:
GOtt laß Ihn allezeit geehrt und glücklich ſeyn!

Dem Herrn Candidato zu ſchuldigen Ehren wolte dieſes wenige mit beyfügen

M. Albinus Aurich/
Scholæ Patr. Baccal.

):(o):(

Ung VI 181
1048
VD17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-688717-p0007-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-688717-p0008-7

90

PLAUSUS LAETI

QUIBUS

VIRO-JUVENI

Nobiliſſimo, Clariſſimo, Doctiſſimoque

DOMINO

OH. ZACHARIÆ

HILLIGE

Chemnicenſi Miſn

APOLLINEUM S

capiti ejus in alma L

d. 30. April. Anni hujus M

ex merito impoſitum,

amore jubente,

gratulantur

SCHOLÆ PATRIÆ

CHEMNICII,

Prelo impreſſorio STÖSSE

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-688717-p0009-6